



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorum Liber ... Hoc est,
Collectio Veterum monumentorum, quæ hactenus
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

Baluze, Etienne

Parisiis, 1679

Chronicon breve monasterij Canigonensis in diœcesi Helenensi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14735

sancti Martini de novo castello miserunt ibi conventum Clericorum. Postea Hugo Capet Rex Francorum dedit illam Ecclesiam Odoni Comiti Turonensi, qui misit Cluniacum, & adduxit inde Guislebertum cum duodecim aliis monachis anno ab incarnatione Domini millesimo. Hunc Guislebertum idem Comes fecit Abbatem ejusdem loci anno millesimo quarto. Quod & sanctus Majolus Abbas Cluniacensis concessit, cum Majus-monasterium per quatuor annos fuisset cella Cluniaci. Huic Odoni successit alius Odo filius ejus, pater Comitis Tebaldi, qui ambo jacent in capitulo Majoris-monasterij. Secundus Abbas post Guislebertum fuit Sichardus, tertius Gaubertus, quartus Albertus, quintus Bartholomæus, sextus Bernardus, septimus Hilgotus antea Episcopus Sueffionensis, octavus Vvillelmus, nonus Odo, decimus Garnerius, undecimus Robertus.

CHRONICON BREVE

Monasterij Canigonensis in diœcesi Helenensi.

Anno Domini millesimo primo, æra mxxxix. anno vi. Rodberti Regis, Indictione xi v. Guifredus Comes cœpit ædificare monasterium sancti Martini Canigonensis.

Anno Domini mxiv. electus fuit in primum Abbatem Selva monachus sancti Michaëlis Coxanensis. Eodem anno delate fuerunt reliquiæ sancti Gaude-rici Confessoris è finibus Tolosæ.

Anno Domini mxxvi. consecrata fuit ejus Ecclesia.

Anno Domini mxxxvi. Guifredus Comes monachus efficitur.

Anno Domini ML. pridie Kalendas Augusti obiit dictus Guifredus.

Selva primus Abbas præfuit annis xxx.

Guillermus Abbas annis v.

Miro annis xv.

Benardus annis viii.

Petrus Ermengaudi annis viii.

Petrus Iuniarij annis xxxiii.

Raymundus Valle de Crassa annis xix.

Berengarius de Crassa annis v.

Raymundus sacrista Rivipullensis annis xi.

Geraldus frater ejus annis iv.

Petrus annis xxxiii.

CHRONICON SAVIGNIACENSE

ANno Domini M C X I I. beatus Vitalis eremita, optimus seminiverbius, in confinio Normanniæ & minoris Britanniae ædificavit monasterium istud, quod dicitur Savigniacum. Hic beatus vir modernas institutiones in aliquibus Cisterciensibus similes monachis suis imposuit, virtutibus & miraculis claruit. Inter alia multa quendam militem mortuum populo præsentem suis sanctis precibus resuscitavit. In dicto monasterio, quod ipse fundaverat, primus Abbas ordinatus, rexit abbatiam annis decem, & anno Domini M C X X I I. gloriose migravit ad Dominum. Huic successit beatus Gaufridus Bajocensis monachus, vir admodum literatus, & in religione fervens, generis nobilitate pollens, sed vitæ sanctitate excellens. Hic multa monasteria ædificavit, & consuetudines prioribus altiores Savigniacensibus imposuit. Qui abbatiae Savigniacensi præfuit annis xvi. & anno Domini M C X X V I I I. Domino reddidit spiritum. Cui post